



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 51. Explicatio diplomatis Clericis laicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

constituit Stephanum Adimonem, qui tunc eorum Præceptor erat. Æcul. XIII. A.C. 1297. Diploma dabat Urbe Veteri 18 Maji an. 1297. Atque ista fuit origo Ordinis Religiosorum Hospitalium S. Antonii.

§. LI.

Explicatio diplomatis Clericis laicos.

Petrus Barbetus Archiepiscopus Remensis querelas de diplomate *Clericis laicos* in Francia jactatas audiens, nomine totius Provinciæ suæ per litteras Papam, ut huic offensionem mederetur, rogavit, eaque tantum de causa Romam Episcopos misit, qui Bonifacio necessarias rei informationes darent. Papa ejus rationem ducens, per litteras cunctis Galliæ Præsulibus Proceribusque inscriptas querebatur aliquos sanctionem suam perperam exposuisse: ac ipse hanc explicans declarabat se inhibitionem ibi contentam non extendisse ad dona vel pecunias mutuas a Clero Regi aut Proceribus gratuito dandas, sed solum ad exactiones violentas; neque ad obsequia vel obligationes Cleri erga laicos ob prædia beneficiaria. Adjungebat, Regem posse in necessitate tuendi regni subsidium a Clero poscere, & accipere etiam inconsulto Papa; & Regis esse de hac

Preuv. diff. p. 26.

p. 39. Rayn. 1297. n. 50.

D d 2 necessi-

Sæcul. XIII. necessitate bona fide judicare. Dabat
 A.C. 1297. Urbe Veteri postrema Julii.

§. LII.

S. Ludovicus Cœlitum albo in-
seritur.

Rayn. n. 58.
 Id. 1278.
 n. 38.
 1281. n. 19.

d^o Etrées

Paucis post diebus Papa Bonifacius negotium Franciæ gloriosum, quod viginti quatuor annis duraverat, absolvit: Sancto videlicet Ludovico cœlestes honores publicosque decrevit. Tertio post ejus obitum anno nempe salutis 1273 Papa Gregorius X Simonem Briensem Cardinalem de S. Cæcilia suum in Francia Legatum jussit in miracula S. Regis clam inquirere, priusquam id palam ageretur. Paruit Legatus, & informationem ad illum misit. Sed quia hæc non nisi post ejus mortem advenerat, res suspensa hæsit ob breve regimen trium Paparum sequentium Innocentii V, Adriani V, & Joannis XXI. Resumpta fuit sub Nicolao III, cum Rex Philippus Audax eum, ut inquisitionem publicam præciperet, oravit per tres Legatos scilicet Guilielmum Matiscensem Ambiani Episcopum, Guilielmum Decanum Abrincensem, & Radulphum * Stratium castrorum Præfectum primarium seu Marescallum Franciæ, ut vocant. Tum Papa Nicolaus investigationem primam non sufficien-